



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Titulus XVI. Ne, Lite pendente, aliquid innovetur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62656)



# TITVLVS XVI.

## Ne, Lite pendente, aliquid innovetur.

### SUMMARIUM.

1. Ratio Ordinis.
2. Lis olim pendeat ab eius contestatione: hodie à citatione.
3. Ad litem pendendam tria requiruntur.
4. Eà pendente circa rem litigiosam mutari ius.
5. Supplicari Principi.
6. Ab eòve privilegium impetrari nequit.
7. Nisi litis, super eà mota, mentio fiat.
8. Lite super adulterio, usu conjugij.
9. Et super alio crimine pendente, Prælatura possessio reo non admittitur.
10. Ad novam electionem procedi, dum super electione.
11. Et dum super provisione prius facta litis pendet, nova provisio.
12. Et à patrono laico variatio fieri nequit.
13. Nisi in favorem presentati à collatigante.
14. Idem est, si litis pendeat super beneficio iam possessio.
15. Alienatio rei.
16. Possessionis & actionis litigiosa.
17. Etiam in personam conjugiam, Ecclesiam &c. prohibita est.
18. Et facta revocatur ac puniatur.
19. Nisi facta sit ex causa dotis, vel donationis propter nuptias.
20. Transactionis, vel divisionis rerum hereditariarum.
21. Voluntate ultimâ.
22. Vel consentiente collatigante, aut permittente Principe.
23. Vel in casum, quo litigiosa esse desinet.
24. Et nonnullis aliis casibus.

**N**E ex eo, quòd ob rei contumaciam in eius rerum possessionem immisso decernatur, Litis inter actorem & reum pendens status in alterius præjudicium mutari facile posse videatur, præsentis Rubricæ traditur generalis Regula, Ne, lite pendente, aliquid innovetur.

Lis autem pendere hodie censetur, non solum à litem contestatione, sicut de Jure Civili, l. Amplius 15. ff. Rem ratam haberi: & Canonicò Jure antiquiore, c. Ex parte 30. in fine, de V.S. sed à tempore, quò libellus, clarè in eo expressè actoris intentione, oblatus judici competenti, & ab isto ejus infinuatio reo facta est per citationem: vel saltem per hunc stetit, quò minus ad se citatio perveniret, Clement. 2. usque ad sententiam definitivam, c. In sub hac Rubrica: imò etiam post hæc si ab ea sit appellatum, c. Non solum 7. de Appellat. in 6. Barbosa in Clement. cit. d. n. 4. & Gonzalez in c. Laudabilem 2. n. 4. Unde

Ad Litem pendendam tria necessaria sunt.

sunt. Primò quidem; ut citatio emanarit à iudice competente, & non suspecto; si enim declinari posset, ad illam inducendam litis quoque contestationem, præter alios, exigit Bruneman. in l. Ubi 30. ff. de Judic. n. 2. Deinde; ut ea parti legitimè sit insinuata; neque enim, ut ad perpetuationem jurisdictionis, c. Gravum 20. de Offic. deleg. sufficit, eam à iudice emanasse, seu esse mandatam: sed ad citatum pervenisse, necesse est, vel saltem per hunc stetit, ne ad se perveniret; cum enim fraus sua & dolus nemini debeat patrocinari, c. Sedes 15. de Rescript. & melioris conditionis esse non debeat contumax, quam obediens, c. Contingit 9. de Dolo, malitiosè impediens, ne citatio ad suam notitiam perveniat, perinde habetur, ut cui ea legitimè innotuit, ut in Clement. cit. cum Anchorano n. 5. Barbosa n. 2. observat. Demum; ut reus ex citationis tenore plenè cognoscere possit, qua de re lis sibi moveatur Clement. cit. propter quam causam, ut actor citationi copiam libelli inseri curet, consultum monet & suadet Glossa fin. in Clement. cit. His præmissis

4. Regula in Rubrica traditæ sensus est, Ab eo tempore, quò citatio reo est intimata, usque ad sententiam definitivam, & istius in rem judicatam transitum circa rem, de qua agitur, vel ejus possessionem, vel etiam circa Jus, quod eò tempore viguit, nihil innovandum, quò litis pendens qualitas & status causæ, in actoris vel rei præjudicium, aliquò modò immutetur: sed omnia relinquenda in eo statu, in quo fuerunt tempore litis inchoatæ, Holtienf. in Summa hic n. 1. §. Et qualiter. Quod statuendi ratio justa fuit; ne litigantium alter conqueri valeat, se injuste privatum jure suo, & in re controversa in suum præjudicium aliquid attentatum, Zacchius ad hanc Rubric. n. 2. & Pit-

rhing n. 3. Quam Regulam Imperiales & propositæ Rubricæ subjecti textus, hincque relatæ summorum Pontificum decisiones illustrant & confirmant; sic enim Lite pendente

Primò, sibi supplicari pro litigantibus vetuit Imperator: nisi acta edi, litem terminari & sententiam ferri, aut iudicem adungi petatur, l. 1. §. l. Supplicare 2. C. Ut lite pend. & Novell. 113, cap. 1.

6. Secundò, subreptitium & irritum est Rescriptum, quò conceditur privilegiū percipiendi Decimas Novalium, quod, lite super Decimis pendente, litigantium pars una in alterius præjudicium à Papa impetravit, si in eo super his motæ litis mentio non fiat, ex decisione c. fin. Cuiusmodi decisio refertur c. 1. ubi Archiepiscopo Eboracensi usus privilegiū Crucem, etiam extra Provinciam suam, in Anglia sibi præferendi, ademptus non est per Rescriptum ejus revocatorium, à sede Apostolica impetratum; quòd litis, super illo inter ipsum & Archiepiscopum Cantuariensem pendens, mentionem, ut de Jure oportebat, non fecerit. Ratio utriusque decisionis est; quòd Princeps privilegium concedens non præsumatur alteri jus suum velle auferre, & litis pendens statum in ejus præjudicium immutare, si hoc non exprimat, l. Nec avus 4. C. de Emancip. liber. Quod confirmatur; quia etiam Constitutio Juris communis de novo emanans non extenditur ad causam litis pendens ad eò; ut hæc secundum Jura antiquiora sit decidenda, Novell. cit. cap. 1. pr. Ergo multò minus privilegium à Jure communi exorbitans, eique derogans, juri alterius, præsertim possessoris, quia hoc strictæ est interpretationis, arg. Reg. Odia 15. in 6. §. l. Præcipimus 32. in fine, C. de Appellat. Pannonit. in c. fin. cit. n. 8. ubi Lauman n. 1. & aliis relatæ Barbosa à n. 4.

o o

Tertiò,

8. Tertio, maritus adulterii ad divortium accusatus, pendente super illo lite, privandus non est commodò possessionis juris conjugalis, sive commerciò carnali, *c. Laudabilem 2.* non solum à conjugè ipsam accusante, sed etiam à iudice, de causa illa cognoscente, antequam accusatio sit probata: sicut in matrimonio spiritali Prælatus accusatus, antequam crimina ipsi objecta legitimè probata sint, ab Ecclesia sua non est removendus, *can. Nonne 8. q. 4.* Imò conjugalis thori possessione privari conjux accusatus non debet, probationibus etiam perfectis, antequam divortii sententia contra ipsum lata transierit in rem judicatam; cum enim post accusationem jam probatam & latam sententiam locus sit appellacioni: eaque interposita, lis ad huc pendeat, in ejus præjudicium nihil est innovandum, *c. Non solùm cit. Panormit. in c. Laudabilem cit. n. 6. & Pirrhing ad banc Rubr. n. 3.*

Neque cum hac decisione pugnat; quòd *c. Cum locum 14. de Sponsal.* matrimonio propter metum accusatò de nullitate, mulier, lite pendente, deponi jussa sit apud honestas matronas: neque etiam, *s. Tenor 10. de Sent. & re jud. & c. Veniens 19. de Regular.* quorum textuum utroque, & priori sub pœna excommunicationis conjux carnalis commercii usu, lite pendente, privatus est, donec causa decidetur. Non, inquam, hi textus cum decisione illa pugnant, eamque infringunt; quia *c. Cum locum cit.* maritus nondum fuit in matrimonii possessione; ac proinde mulieris apud honestas matronas depositione in ipsius præjudicium nihil fuit innovatum. Reliqui autem duo textus *c. Laudabilem cit.* decisionem firman potius, quam ei adversentur; quia iis carnale commercium interdictum non est cum muliere, quacum matrimonium primò contractum & consummatum fuit;

sed cum secundà, quæ, lite cum prior pendente, fuit superinducta, ut in *c. cit.* cum Cuiacio notat Gonzalez *n. 8. & 11.*

Magis in speciem, re ipsa etiam non urget decisio *c. Literas 13. de Restit. Sponsal.* quæ conjugum alterò, alteri continentiam opponente, & in continenti probare parato, postulata restitutio ad thorum, ac proinde per matrimonii consumationem acquisitæ plenæ possessionis præcipuum commodum est denegatum; quia hoc specialiter exigebat ex restitutione imminens periculum incestus, indubitatè committendi, casu, quò dicti aut alterius impedimenti dirimentis notitia certa habetur, & paratæ probationes in continenti offeruntur. Quale periculum cum thori conjugalis cum adultero continuata possessio & usus non afferat, conjugem istius commodò & carnali commercio, pendente causâ divortii, etiam cum adulterii probationes paratæ & perfectæ sunt, non privandum, *arg. Rubrica nostra cum Covarruvia de Sponsal. p. 2. cap. 7. §. 5. n. 12. & Sanchez Lib. 10. de Matrim. disp. 12. n. 22. rectè docet cit. Gonzalez n. 9.*

Quarto, etiam in spiritali matrimonio Prælatus accusatus, antequam crimina ipsi objecta probata, & sententia lata sit, neque à subiecto populo deservendus, neque ab Ecclesiæ administratione removendus est, per *can. Nonne cit.* textum & *c. Laudabilem cit.* integram lectionem, à Gonzalez relatum.

Neque istorum decisionem evertit quòd de crimine Simonie ab officio & beneficio, *c. Accusatum 4. & c. Quæritur 5. de Simonia,* & de Ecclesiæ suæ rerum dilapidatione accusatus ab administratione ante criminis probationem & sententiam suspendatur, *c. fin. de Accusatis* qui iste non suspenditur ab administratione tota, sed à sola alienandi potestate; propter ipsam.

pter speciale periculum damnificationis, ex ea imminenti Ecclesie, *c. fin. cit. & c. Venerabili 37. de Offic. deleg.* Simoniaca autem labis odii, sicut contra Juris Regulas alia permittuntur, *c. Tanta 7. de Simonia*, ita etiam de ea accusati suspensio, ob criminis atrocitatem, specialiter infligitur ante ejus probationem, Gonzalez *l. cit. n. 7.* à speciali autem dispositione ad infringendam generalem Juris Regulam non rectè ducitur argumentum, Tufehus *Prædic. V. Speciales, conclus. 362. num. 12.*

10. Quintò casu, quò duo litigant super Prælatura, ad quam in discordia sunt electi, si unus moriatur, vel juri suo renuntiet, aut à causæ persecutione excludatur, ad novam electionem validè procedi non potest, priusquam, lite ad finem perductâ, constet de superstitis legitimâ electione, ex dispositione *c. Dispensis 1. in 6.*

Neque obstat; quòd *c. Ex parte 10. de Arbitrio*, hujusmodi nova electio invalida solum pronuntietur, si superstiti, prius electo, jus competat. Unde, argumentò ductò à contrario, infertur, eam validam fore casu, quò ei nullum jus competit ex electione; quia, licet antiquo Jure, *& c. cit.* argumentò, hoc posteriori casu nova electio probabilis substituerit, cum tempore tamen irritata est à Bonifacio VIII. *c. 1. cit.* ut, ex Verbo *Statuimus*, novam dispositionem denotante, desumitur, *& ibi cum Glossa V. cit.* notant Laiman. & Barbosa *n. 6.* ne multiplicatio electorum proroget litem, indéque orta diutina vacatio in Ecclesie, ejusque rerum dispendium cedat.

11. Eadem, quæ duorum ad unam Prælaturam electorum, ferè ratio est aliorum, quibus eadem dignitas, vel aliud beneficium Ecclesiasticum à diversis est collatum: vel à diversis Patronis Ecclesiasticis ad idem præsentatorum; quia, etiam ho-

rum alterò mortuò, vel renuntiante, cum superstitè inchoata lis ad finem prius perducenda est, quàm ad beneficii, adhuc litigiosi collationem vel præsentationem novam procedi possit, Franc. *in c. 1. cit. n. 3. & ibi Laiman. n. 1.* Quod licet satis receptum

Dubium tamen controversumque 12. est, an tali casu saltem patronus laicus variare, & à se prius præsentato, post ipsi collitigantis obitum, vel renuntiationem, alium superaddere novâ præsentatione possit. Hoc enim cum Joan. Andr. *in c. 1. cit.* asserit Lambertinus *de Jure Patronat. Lib. 2. p. 1. q. 6. art. 12.* quòd ex una, hujusmodi patrono variandi jus, *c. Quod autem 5. c. Cum autem 24. & c. de Jure Patronat.* adstruatur indistinctè: ex altera verò parte, eorum textuum dispositioni derogatum non sit *c. 1. cit. & c. fin. in 6.* cum istorum priori sermo sit de electione & collatione, in quibus locus non est variationi: posteriori verò agatur quidem de præsentatione, sed casu, quò collitigantium alter institutus & in possessione jam fuit: & quia antiqui Juris contrarius est, trahendus non sit ad casum, quò neuter fuit institutus.

Sed melius cum Rocho de Curte *de Jure Patronat. V. Honorificum. q. 23. n. 53.* Covarruvias *Prædic. cap. 36. n. 7. V. Tercid & Garcias de Benef. p. 5. cap. 9. n. 217. & 220.* propositam dubitationem resolvunt auxiliò distinctionis: & licet duobus collitigantibus à laico variante tertium superaddi posse, negent ex ratione, ob quam *cc. cit.* electio & præsentatio, lite pendente, facta, irritatur; ne scilicet novò adversariò per variationem litigantibus superadditò, lites cum Ecclesie dispendio multiplicentur & prorogentur: 13. pro valida tamen habent præsentationem, quâ patronus laicus variando à se præsentato superadderet huic collitigantem, ab

tem, ab alio suo compatro presentatum; quia tali casu colligantibus non additur novus adversarius, & cessat, *cc. cit.* ratio; cum huiusmodi variatione pluribus votis in eundem collatis, lis potius abbrevietur & finiatur, quam augeatur, vel protrahatur. Atque ita à Rota pluries decisum, testis est laudatus Garcias n. 120.

14. Sextò, pari modo, si Prælatus vel alius beneficiatus, cui lis mota est super dignitate, vel alio beneficio, quod jam possidet, moriatur vel renuntiet, ad novam electionem, collationem, vel presentationem procedi, & valida provisio fieri nequit, antequam lis cum superflite sit finita, ut idem Bonifacius VIII. statuit, *c. Si hi 2. in 6.* quia, decedenti alium non substitui, interest superflitis colligantis actoris: qui, probans in beneficio ius sibi competere, facilius obtinebit vacuum possessionem, si decedenti novus successor non substituatur. Unde tali casu locus est Regulæ traditæ in *Rubrica*.

15. Septimò, denique prohibita, & ipso Jure irrita, vel saltem irritanda est alienatio rerum aut actionum litigiosarum, *can. fin. 11. q. 1. & cc. Ecclesia 3. & 4. hic.*

Litigiosa autem, sive vitio litigii affecta dicitur res mobilis & immobilis, etiam incorporalis, v.g. iurisdictio, super cuius proprietate, sive dominio, vel quasi, tam utili quàm directò, lis inter petitorum & possessorem mota pendet, *Auth. Litigiosa, junctâ, Glossâ V. Dominio, C. de Litigiosis, & Novell. 112. cap. 1. pr.* Non etiam, si lis pendeat super possessione vel quasi; super hæc enim mota lite, non ipsa res, sed sola ejus possessio, sicut, quando circa eam actio Personalis, aut etiam Hypothecaria, Serviana vel quasi, intentatur, non ipsa res, sed sola huiusmodi actio evadit litigiosa; ut sola possessio vel huiusmodi actio, non ipsa res alienari, & in

alium transferri, Jure non possit, *Glossâ V. Dominio cit. Menoch. Lib. 2. Præsumpt. 97. à n. 7. & Farinac. Fragment. Criminal. p. 2. V. Litigiosa, à n. 276.*

Huiusmodi ergo res, quamvis de eorum dominio vel quasi mota lis pendet, litigiosa earum possessio & in iudicium deductæ actiones à reo vel auctore in alias, tam conjunctas, quàm extraneas, personas imò etiam in Ecclesias, Monasteria, aliæve loca, aut causas pias, & præsertim in alium potentiorum per donationem, venditionem, permutationem, aut aliam viam alienari & transferri Jure prohibentur: earumque translatio, etiam cum accipiens litigiosi vitium ignoravit, irrita ipso Jure, vel saltem irritanda est, *l. 1. l. Lite pendente 2. C. & l. fin. ff. de Litigiosis*; quarum Imperialis dispositio sanctoribus Ecclesiasticis approbata est *can. fin. & cc. Ecclesia cit.* ne iudicia elusoria, vel saltem deterior reddatur conditio actoris, substituitur novò & fortassis potentiore adversariò, à quo res alienata esset repetenda, *Farinac. l. cit. à n. 235. & Gonzalez in cit. c. Ecclesia 4. n. 11.*

Quare, præterquam quòd lis capta nihilominus peragatur, Imprimis alienans rem alienatam repetere, aut si eam recuperare nequeat, aliam alienatam æquivalentem subrogare debet, quæ etiam ipsa nequeat alienari, textus & *Glossâ in cc. Ecclesia cit.* quorum textus, quia idem utriusque est casus, conjungendos, rectè notat Pirrhing *ad hanc Rubric. n. 13.* Dein emptor, aut alius, qui rem alienatam recepit, eam alienanti confessim reddere debet, *l. fin. pr. C. de Litigios.* Multum tamen refert, an eam emerit, vel aliò contractu scienter, aut ignoranter comparit; si enim litigiosi vitium scivit, in pretium perdit, applicandum filio: cui improbus alienator tantundem de suo præstare debet, *pr. cit.* Si autem vitium

tium hoc, cum eam emeret, ignoravit, pretium à venditore recuperabit, atque insuper tertiam ejus partem, sibi ab eodem præstandam, ob dolum & sui deceptionem. *l. fm. cit. §. 1. ubi Interpp. & Pannorm. in cit. c. Ecclesia 3. n. 10.*

19. *Sua* amen hæc, de rerum & actionum litigiorum alienatione prohibita, doctrina patitur exceptiones; quia ejusmodi res in alios transferri variis casibus permittuntur: & *Primo* quidem ex causa dotis, vel propter nuptias donationis, *§. 1. cit. in fine*; quod hæc propter justam affectionem nuptiarum videtur esse causa necessaria; cum fortassis, quæ eò nomine dari possint, res aliæ non suppetant: & propterea adversarii divexandi præsumptio cesset. *Secundo*, causâ transactionis, aut divisionis rerum hereditiarum, *§. cit. nisi omnia ejusmodi bona litigiosa essent inter hæredes eorumque adversarium*; hoc enim casu in istius præjudicium dividi inter illos non possent, *Cephal. Consil. 64. n. 28. & cum eo cit. Farinacius n. 266.* Tertio, per ultimam voluntatem, seu viam institutionis, aut etiam legati, *§. cit. & Novell. cit. cap. 1. §. Et hoc au-*

*tem.* Casu tamen, quò res litigiosa legatur, hæres litem cum defuncto captam periculò & commodò, sive damnò & lucrò legatarii prosequitur; cum iste, si hæres vicerit, legatum: si autem vincatur, nihil consequatur; ut adeò nihil, quàm eventus seu exitus litis relictus videatur, *§. Et hoc autem cit. & Auth. fm. C. de Litigiosis, Sichardus in l. Censurus 4. ibid. n. 23.* Quarto, cum consensu collitigantis, *22.* vel gratiâ Principis, imò aliquando ex justa causa, puta; quòd res alioquin esset peritura, ipsius judicis permissione, *Farinacius l. cit. n. 270.* Quintò, si alienatio fiat ab aliquo tertio, cui ea cum collitigante est adjudicata; cum enim respectu tertii vitio litigiosi affecta non sit, ab isto facta ejus alienatio jure valet, *Menoch. cit. Præsumpt. 97. n. 45.* Sextò, si ab ipso collitigante alienetur, vel obligetur in eum casum, quò litigiosa desinet esse, *Sichardus in l. Censurus cit. n. 20. & ibi Bruneman. n. 6.* Septimò, si pendente lite, adversarium injustè & calumniosè agere, & de ejus non jure, evidenter constet, *Menoch. l. cit. n. 48. & aliis casibus, re-latis ab isto & Haunoldo Tract. cit. n. 718.*



# TITVLVS XVII.

## De Sequestratione Possessionum & Fructuum.

**¶** Um, lite pendente, nihil sit innovandum, regulariter interdicta est sequestratio: per quam res litigiosa, à possessore ablata, deponitur apud sequestrum.

### ARTICVLVS I.

#### De Sequestrationis Natura, Decreto & Effectu.

003 SUMMA.